



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Statu Hominis Morali In Vita Et Post Mortem

Opfermann, Paul

Moguntiae, 1769

Quæstio IV. An Lex Mosaica jam abrogata sit?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40701

tatos esse non constat, neque ex Scriptura Sacra, ex Traditione, neque ex humanæ Historiæ monumentis, quæ ante *Moyſis* avum nulla sunt.

QUAESTIO IV.

Utrum Lex Mosaica jam abrogata sit?

131. **N**ullum est argumentum, in quo Judæi copiosius, aut cum majori contentione, post urbis excidium ad nostra usque tempora, versati sunt, quam in adstruenda Legis Mosaicæ æternitate: totius Legis immutabilitas facilè principem inter eorum dogmata locum obtinet. Præcepta *moralia* nulli obnoxia mutationi fuisse, & etiamnum salva perstare consentimus, quia ad Legem naturæ pertinent. Igitur de Legibus *judicialibus* & *ceremonialibus* duntaxat controversia est, utrum istæ aliquando abrogatæ sint?

132. *Constitutio Mosaica adeo immutabilis non fuit, ut eam aliquando interire necessum fuerit.* Nam
 Lex
 vetus
 est
 muta-
 bilis.
 1^o. Deus ipse per *Moyſen* aliosque Prophetas voluntatis suæ interpretes istius Legis interitum præ-nunciavit. *Deut 18. Prophetam de gente tua, & de fratibus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audies.* Sicut autem *Moyſes* erat Mediator Fœderis, & Legislator, Rex Israel, & eminenter Sacerdos; sic etiam Propheta ille excitandus debebat esse Legislator, & Mediator Fœderis, Rex & Sacerdos. Qui quidem characteres omnes tribuuntur Messia. 2^o. Deus per Prophetas declaravit se novum cum hominibus fœdus initurum Mediatore Messia, *Jerem. 31. Ecce dies veniet, dicit*

dicit Dominus, & feriam Domui Israel, & Domui Juda fœdus novum non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Aegypti, pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus sum eorum, dicit Dominus: & hoc erit pactum, quod feriam cum Domo Israel: post dies illos dicit Dominus, dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi mihi erunt in populum. Duo hic memorantur fœdera distincta & diversa, unum jam olim initum, & alterum post certum temporis spatium adhuc ineundum. Isa. c. 7. In novissimis diebus . . de Sion exhibit lex, & verbum Domini de Jerusalem. 3^o. Novum promittitur Sacerdotium ab Aaronico diversum: nam Messias ex Tribu Juda nasciturus fungi Sacerdotio debebat juxta illud Zach. 6. Hæc dicit Dominus exercituum: Ecce vir, Oriens nomen ejus, ipse portabit gloriam, & sedebit, & dominabitur super solio suo, & erit Sacerdos super solio suo. Immo hoc Messiae Sacerdotium debebat esse diversi planè ordinis juxta illud Psalmi: Furavit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Et apud Isaiam c. 66. v. 21. Deus significavit assumendos esse Sacerdotes ex Gentibus: Et assumam ex eis in Sacerdotes, & Levitas, dicit Dominus. 4^o. Nova etiam prænunciantur Sacrificia, quæ Sacerdotii mutationem necessariò post se trahunt. Malach. 1. Non est mihi voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim Solis usque ad occasum magnum est nomen

374 DE LEGE MOSAICA.

meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. Et Dan. 9. Confirmabit autem pactum multis hebdomadâ unâ, & in medio hebdomadis deficiet hostia, & Sacrificium, & erit in templo abominatio desolationis, & usque ad finem perseverabit desolatio. 5^o. Dan. 9. disertis verbis prænunciatus est Reipublicæ, urbis & templi, cui Sacrificiorum apparatus erat alligatus, interitus sempiternus. Et occidetur Christus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus est: & civitatem & Sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Denique in singulis fere Prophetarum paginis prænunciatur populus novus ex omnibus Gentibus conflatus Messia imperio subjiciendus. Fuit hæc jam conditio pacti Abrahamitici, ut in semine Abrahamæ benedicerentur omnes cognationes terræ. Confirmatur adsertum ulteriùs ex natura Legis Mosaiæ: erat enim lex ista adcommodata certæ regioni, solis data posteris Abrahamæ ad eos ab omni alia gente discernendos, & ad idololatriam abolendam instituta: non debuit igitur lex hujusmodi perstare diutius, quàm regnum Dei angustis terræ illius finibus contineretur, Judæi à cæteris Gentibus separati viverent, atque idololatriæ pestis grassaretur. Fuisse autem legem illam terræ Chanaan ita adcommodatam, ut nec à Judæis extra illam servari posset, constat attendenti ad præscriptas solemnitates, quæ pars illius constitutionis esse universalis debebat. Non Neomeniæ, istæ enim, sicut & cætera festa ex lunæ motu pendentia, determinabantur ex phasium lunarium observatione facta

facta *Ierosolymis*: hæ autem observationes nonnisi terræ *Chanaan* habitatoribus innotescere poterant; nec fieri potuit, ut ceteræ Gentes remotiores, quas Sol & Luna ocyus aut serius invisunt, eodem cum Judæis tempore festivitates illas juxta præscriptum Legis observarent. Hinc fit, ut Judæi apud nos degentes duplicem Neomeniam singulis mensibus servare soleant, eoquod diem præcisè ignorent. Non etiam celebrari ab exteris Gentibus possunt festa *Faschatis*, *Pentecostes* & *Tabernaculorum*, ad quorum nempe celebrationem Judæi Hierosolymam ascendere debebant. Quomodo enim homines ex Germania singulis annis ter Hierosolymam omnes profisciscantur? Nec denique *annus Sabbaticus*: nam ille incipiebat die 10. mensis *Tisri*, qui Septembri maximè responderet: & ideo ab hoc die otium terræ ordiebantur, eoquod in ista regione ante istud tempus omnes terræ fructus, segetes, uvæ & poma colligerentur: legem hanc in nostris partibus servari non posse certum est. Immo nec ipsi Judæi in captivitatem Babylonicam deportati leges istas servaverunt, neque illarum observatio à profelytis non circumcisis exigebatur. Igitur solis *Abrahæ* posteris data fuit, quoad usque terram *Chanaan* inhabitarent. Nec minus certum est, regnum Dei angustis illius terræ limitibus non semper fuisse concludendum, quia Gentium ad Mesiam vocatio res est à Prophetis frequentissimè decantata. Nec denique idololatria terrarum Orbem semper infectura erat, cum Judæi ipsi uno ore doceant, Gentes in cognitionem veri Dei per Mesiam adductas, idola & superstitiones esse relicturas. His omnibus accedit, quòd præcepta cere-

376 DE LEGE MOSAICA.

monialia & judicialia nullam prorsus vim habuerint, emundandi animas & sanctificandi à gravioribus delictis, esto quædam fuerint Sacrificia expiatoria pro levioribus peccatis per ignorantiam, aut inadvertentiam commissis. Inde est, quòd ipsi Prophetæ tam multa de Sacrificiorum vanitate fuerint vaticinati. *Misericordiam volui, & non sacrificium, & scientiam Dei plusquàm holocausta. Ose. 6.* Hactenus fere Cl. HOOKE.

133.
Est
nunc
abro-
gata.

Lex Mosaica jam abrogata est. Non aliud fortassis efficacius hujus rei testimonium sit, quàm ipsa præfens Judæorum conditio, quæ rescissum fœdus Mosaicum luculentè demonstrat. Fœdere illo obstrinxerat sese Deus ad tuendam Hebræorum gentem, eundemque ab aliis separatam speciali providentiâ regendam: quo etiam Regis munere duntissimè perfunctus est Deus, leges dando, mittendo Prophetas, cæteros Ministros constituendo, dividendo pro meritis præmia vel supplicia, aliæque omnia regalis potestatis munia obeundo. Verùm à 1700. annis Judæorum res prorsus deseruit, nullos misit Prophetas, urbis & templi destructionem, totius Gentis in omnes terræ partes dispersionem permisit; cumque hæc omnia eventura Prophetarum ore prædixerit, his malis se laturum melam nuspiam pollicitus est. Quin legum suarum observantiam Judæis impossibilem Deus reddidit, uti ex dictis colligitur, atque in Judæos tamquam in perduelles per tot jam secula pœnis gravissimis animadvertit. Sine Rege, sine Lege, sine Sacerdotibus, sine templo, sine Sacrificiis vivunt miseri Judæi, non jam amplius terrores Gentium, sed mancipia & ludibria populorum.

Respon-

Respondetur ad objecta.

Obj. 1. Verba *Deut. 18.* intelligi non debent de singulari aliquo Propheta, qui *Moyfi* similis esset, nam *Deut. 34. v. 10.* dicitur: *Non surrexit ultra Propheta, sicut Moyses*; sed solum de successione Prophetarum, idque efficitur 1^o. ex occasione istius promissionis, quæ fuit relativa ad petitionem populi: petierat hic, ut non amplius per se loqueretur Deus, sed ut ministerio *Moyfis* eos erudiret: *Loquere tu nobis, non loquatur Dominus*: annuit Deus *Judæorum* votis, significavitque se non amplius immediatè, sed per Legatos & Prophetas suos allocuturum eos esse. 2^o. Hunc sensum suadent ea, quæ immediatè præcedunt: *Gentes istæ, quarum possidebis terram, Augures & Divinos audiunt: tu autem à Domino Deo tuo aliter institutus es.* Et quæ mox subsequuntur: *Propheta autem, qui arrogantiam depravatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, ut diceret, aut ex nomine alienorum Deorum, interficietur.* Ergo. *Resp. Ad 1^{um}.* *Non surrexit ultra Propheta* purus homo, sicut *Moyfes*, ubi non excluditur *Messias* Deus Homo, infinitè major. Est autem *Christus Messias Moyfi* similis, inquantum uterque fuit Redemptor, Legislato, & Propheta, *Christus* tamen modo nobiliori, utpote cujus figura tantum erat *Moyfes*. *Ad 2^{dum}.* Falsum est, sermonem ibi esse de serie Prophetarum, nam dicit *MOYSES*: *Prophetam, sicut me, suscitabit tibi Dominus*; igitur singularem, sicut *Moyfes* erat singularis, nec so-

lūm ratione personæ, sed ob peculiare etiam prærogativas, quas non habuit ullus alius Propheta, ut patet ex c. 34. *Deut. Et non surrexit ultra Propheta in Israel sicut Moyses, quem noffet Dominus facie ad faciem, in omnibus signis atque portentis, quæ misit per eum, ut faceret in terra Aegypti Pharaoni, & omnibus servis ejus, universæque terræ illius, & cunctam manum robustam, magnaque mirabilia, quæ fecit Moyses coram universo Israel.* Propheta igitur *Deut. 18.* prænunciatus *Moyse* similis debebat & ipse excellere tum familiaritate cum Deo, tum virtute faciendi signa & prodigia: hic autem solus fuit Messias Christus. Præterea novus hic Propheta non dicitur docturus legem Moysis, quod cæteri Prophetae fecerunt, sed legem novam: *Prophetam suscitabo eis . . . similem tui, & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi.* 2^o. Promissionem Dei fuisse relativam ad petitionem populi, haud diffitemur: sed quæ fuit populi petitio? *Ultra non audiam vocem Domini Dei mei, & ignem hunc amplius non videbo, ne moriar.* Petiit ergo populus, ut Deus non fulgura inter & tonitrua, sed per Moysen Mediatorem ad ipsum loqueretur; atque huic petitioni annuit, promittens se non amplius daturum Legem in tanta majestate, sed in venturis seculis, ubi leges erunt promulgandæ, se excitaturum Prophetam similem *Moyse*, & positurum verba, seu leges in ore ejus. Unde merito Apostolus ad *Hebr. 12.* de Legis Judaicæ & Christianæ promulgatione loquens ait: *Non accessistis ad tractabilem montem, & ad sensibilem ignem & turbinem* &

Et caliginem Et procellam Et tubæ sonum Et vocem verborum, quam qui audierunt, excusaverunt se, ne eis fieret verbum . . . sed accessistis ad Novi Testamenti Mediatorem JESUM. Sed & ista interpretatio Judæis omnibus aut fere omnibus sic persuasa erat, ut S. PETRUS in sermone ad populum *Act.* 3. & S. STEPHANUS coram Principibus Judæorum, ista *Moyfis* verba *ad litteram* intellecta absque omni hæsitazione Christo tribuerent, quod certè non fecissent, si eâ tempestate intellexissent illa Judæi de successione Prophetarum.

Inst. Populus non cogitabat de nova Lege; igitur solum rogabat, ut Deus sub Veteri Testamento eos per Prophetas alloqueretur. *Resp.* Cogitaverit Populus, sive non; adhuc Dei responsio erat relativa ad petitionem illius: petierunt, ut in ferendis legibus non tanta majestate uteretur, neque per se illas ferret; respondit Deus, se deinceps in condendis legibus ad Reipublicæ judaicæ constitutionem necessariis ministerio *Moyfis* usurum esse, ac cum leges novas condere vellet, se Prophetam similem *Moyfis* excitaturum esse.

Obj. II. Verba illa *Zach.* 6. ad Zorobabelem referri debent, ita ut sensus sit: *Et erit Princeps super solium suum*, nam *Cohen* etiam Principem significat. *Resp.* Inane hoc Judæorum commentum est, cum verba præcedentia: *Ecce vir, Oriens nomen ejus, ipse portabit gloriam*, de Zorobabele dici non possint, nam *Oriens*, hebr. germen propriè Messiae convenit: vocatur enim ab *Isaia* germen Domini, & à *Jeremia* virga de radice *Jesse* & germen justum. Atque ita interpretati sunt

sunt RR. veteres, & Talmudista *Ierosolymitanus*. Ad 2dum. Etsi Cohen aliquando virum nobilem, Regi proximum, aut virum à consiliis secretioribus significet, uti 2. Reg. 20. v. 26. sub hac tamen notione intelligi nequit Zach. 6. c. cit. quia ille, cui *Oriens* nomen, portabit gloriam, & sedebit super solium. Id quod maximè confirmatur ex lectione chaldaica, quæ habet: *Ecce vir Messias nomen ejus, qui revelandus est, & magnificandus, & ædificaturus templum Domini.*

Inst. Quòd ista de *Zorobabel* intelligi debeant, colligitur ex v. 11. ubi *Jesu* filius *Josedec* jubetur alteram illi coronam imponere. *Resp.* Versus 11. sic habet: *Et sumes aurum & argentum, & facies coronas, & pones in capite Jesu filii Josedec, Sacerdotis magni.* Igitur Propheta jubetur ponere coronam in capite *Jesu* filii *Josedec*, Sacerdotis magni, quin ulla fiat mentio *Zorobabelis*. Quod autem dicitur v. 13. *Et erit consilium pacis inter illos duos*, sensum habet istum: Et stabunt simul duo throni Regiæ & Sacerdotalis potestatis, sive *Messias* idem erit Rex & simul Sacerdos.

Obj. III. Ipse *Moyses* multis in locis Legem suam vocat legitimum sempiternum: & *Deut.* 29. v. 29. jubet, ut in sempiternum præcepta omnia serventur: *abscondita Domino Deo nostro, quæ manifesta sunt nobis & filiis nostris usque in sempiternum, ut faciamus universa verba legis hujus.* *Psal.* 118. *De testimoniis tuis, quia in æternum fundasti ea.* Ergo. *Resp.* Quæcumque *Moyses* & Prophætæ de Legis æternitate dixerunt, non de æternitate absoluta, sed relativa intelligi debent, quæ sc. non ad omnia futura tempora, sed ad definitum

finium Reipublicæ judaicæ ævum pertineat. Notio hujus vocis *æternitas* quodocunque de rebus humanis dicitur, non potest non esse relativa, quia cum fine Mundi cessabunt omnia. Aliquando igitur designat vox illa durationem usque ad Mundi finem, quandoque aliud definitum tempus, aliàs indefinitum. De Lege Mosaica ubi eadem vox adhibetur, nonnisi certum tempus significat, ut constat ex dictis *num. 132. & 133.*

Obj. IV. Mutatio legis divinæ vel totius, vel alicujus partis repugnat infinitæ sapientiæ Legislatoris omnia ob certum finem agentis, repugnat etiam divinæ immutabilitati. *Resp.* Lex Mosaica neque erat summæ & consummatæ perfectionis, neque æternam illam & immutabilem decrevit Deus, neque eadem semper necessario futura erat ratio conservandæ legis; proin aboleri potuit & salvâ Dei sapientiâ, & immutabilitate.

Obj. V. Ex præsentî Judæorum conditione non magis efficitur rescissum esse pactum Mosaicum, quàm tempore captivitatis Babylonicæ idem argui potuit, nempe tunc quoque carebant civitate, templo & sacrificio. *Resp.* Dispar maximè est utriusque conditionis ratio: sive enim utriusque calamitatis durationem spectes, nulla est proportio: sive ipsam Judæorum sortem consideres, dissimilis maximè conditio est, nam tempore *Nabuchodonosoris* remansit Jerosolymis magna pars populi, & divinâ providentiâ factum est, ut nullæ tunc transferrentur colonie, nec vicini populi vacua loca occuparent; & post ultimum excidium Judæi omnes è terra *Chanaan* exulare jussi sunt. Captivitatis Babylonicæ tempore Judæi suos habebant judices, qui

qui secundum Legem Mosaicam Jus dicerent; nunc ubique legibus alienis obtemperant. Illis temporibus recreabantur Prophetarum vaticiniis: 70. annos determinaverat *Jeremias*, *Isaias* Liberatorem *Cyrum* nomine compellaverat, novæ urbis & templi formam descripserat *Ezechiel*. Et quæ nunc rerum Judaicarum facies?

Inst. Deus etiamnum Judæos speciali providentiâ tuetur, & conservat. *Resp.* Deus nunc quoque Judæos conservat, quia hoc patribus eorum promiserat jam ante legem mosaicam. 2^o. Ut hæc infelix eorum conditio testimonium Christo perhibeat evidentissimum. 3^o. Ad fidem Evangelii confirmandam. 4^o. Ut vel sic admiremur benigna Dei consilia in reliquias hujus gentis: erit etiam aliquando, cum ad Christi fidem conversi in ejusdem Religionis societate cum Gentilibus conjungentur juxta illud *Ose. 3. Dies multos sedebunt filii Israel sine Rege, & sine Principe, & sine sacrificiis, & sine altari, sine Ephod, & sine Teraphim: & post hæc revertentur, & quærent Dominum Deum suum, & David Regem suum, & pavebunt ad Dominum, & ad bonum ejus in novissimo dierum.*

Obj. VI. Fœdus Sinaicum jam tum rescissum est, ubi Israelitæ cœperunt habere Reges, tunc enim Deus desinit esse Rex eorum. *Resp. N. A.* Quia Regum electio non ad populum sed ad Deum pertinebat, ut constat ex *Deut. 17.* ubi *MOYSES* ad populum: *Cum ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & dixeris: Constituam super me Regem, sicut omnes habent per gyrum nationes; eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de medio fratrum tuorum.* Quæ verba satis manifestant

stant *Theocratiam* prorsus abolitam non esse, ubi Reges sunt constituti, præsertim cum isti nullam haberent potestatem *legislativam* cæteroquin propriam illi, qui omnibus supremæ majestatis Juribus gaudet; sed *executivam* duntaxat, qua Vicarii & Pro-Reges carere non possunt. Certè nullas umquam ab ipsis rogatas leges invenimus, aut ulla ex Mosaicis Institutis abrogata ab ipsis fuisse. Præterea Deus post constitutos Reges Jure suo frequenter usus est, non modo in illis eligendis, sed etiam exautorandis. Ita Saulem ob administratam malè Rempublicam, quodque jussis suis non obtemperasset, abjecit, totamque ejus familiam à solio exclusit, *Davidem* autem elegit, in cujus familia non fuit sceptrum nisi ad remunerandas hujus Principis virtutes. In regno etiam Israel per Prophetas suos Deus Reges alios exauctoravit, elegit alios absque illa legum immutatione. Quin ipsi Judæi Reges suos ut Dei Vicarios & Ministros semper habuere. Hinc *Isaias* c. 33. *Dominus enim Judex noster, Dominus Rex noster, ipse salvabit nos.* Et *Psal.* 149. *Latetur Israel in eo, qui fecit eum, & filii Sion exultent in Rege suo.* Nec rescissum fœdus Mosaicum fuit in captivitate *babylonica*, quia tunc quoque Deus per *Aggæum* significavit, se semper Regem & Deum eorum esse. Et nunc confortare *Zorobabel*, dicit Dominus: & confortare *Jesu fili Josedec Sacerdos magne*, & confortare omnis populus terræ, dicit Dominus Deus exercituum: & facite (quoniam ego vobiscum sum, dicit Dominus exercituum) verbum quod pepigi vobiscum, cum egrederemini de terra *Aegypti*: & spiritus meus erit in medio vestrum, nolite

nolite timere. Ubi Deus fœdus istud (*Jehovah elegisti hodie, ut sit tibi Elohim* (id est, Dominus, Dux & Imperator) & ambules in viis ejus, & custodias ceremonias illius, & mandata atque judicia, & obedias ejus imperio; & Dominus elegit te hodie, ut sis ei populus peculiaris. Deut. 26.) olim initum esse ratum firmumque declarat. Illud tamen facile largiendum est, Theocratiam paullatim imminutam fuisse. Perfectissimus theocratici hujus regiminis status fuit, quamdiu *Moyse* vixit, atque *Israelitæ* in deserto circumerrabant. Post subactam terram *Chanaan* etsi præsto semper esset eorum rebus Dei præsidium, haberentque oraculum, quo de voluntate divina in rebus gravioribus certiores fierent, Deus excitaret viros sapientiâ & fortitudine conspicuos, qui dictatorio Jure populum suo nomine regerent, & ab hostibus liberarent; multis tamen partibus minùs perspicua erat Dei in rebus civilibus interventio, quæ amplius defecit post constitutum Regem. Quamvis enim priores duo Reges à Deo electi fuerint; eorum tamen arbitrio multa esse facta, Scripturæ testantur, uti bella & fœdera inita, institutos Magistratus inferiores, pœnas capitales irrogatas; quæ omnia in prima Reipublicæ origine absque divino jussu fieri non poterant. Postea regnum hæreditarium factum est, siluit Oraculum, & Deus rebus civilibus sese rariùs immiscuit. Tandem post captivitatem babylonicam spiritus propheticus, omniaque extraordinaria Dei providentiæ indicia profus defecerunt.

a) Quales fuerint promissiores Legis Mosaicæ, an temporales tantum, an etiam spirituales & æternæ; commune

ne dubium est, inquit SUAREZ de LL. *Libr. 9. c. 6. S. THOMAS* putat promissa illius legis fuisse tantum temporalia, eoquod lex illa disponeret ad Christum, sicut imperfectum ad perfectum, fueritque data populo adhuc imperfecto in comparatione perfectionis, quæ per Christum futura erat. Nec desunt plures S. Scripturæ loci, quibus ista opinio confirmetur. Sic *Deut. 28. v. 1. & 2. Si autem audieris vocem Domini Dei tui, ut facias, atque custodias omnia mandata ejus, quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelsores cunctis gentibus, quæ versantur in terra. Venientque super te omnes benedictiones istæ, & apprehendent te, si tamen præcepta ejus audieris.* Et *Isa. 1. Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis.* In eadem sententia fuit S. AUGUSTINUS, dum L. 18. de Civ. c. 11. ait, legem appellari vetus Testamentum, quia promissiones terrenas habet; & per Jesum Christum futurum fuerat Testamentum Novum, in quo regnum cælorum promitteretur. Quin tamen antiqui Mosaicæ legis cultores vitam æternam per eam observantiam speraverint, dubium non est, uti palam fit ex ipsius S. Scripturæ testimoniis. Sic DAVID *Ps. 118. ait: Inclinaui cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem.* TOBIAS c. 2. filio dicebat: *Filii Sanctorum sumus, & vitam expectamus, quam daturus est Deus iis, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.* Et 2. Mach. 7. ex septem unus dixit: *Rex Mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit.* DANIEL c. 12. v. 2. *Et multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt: alii in vitam æternam, & alii in opprobrium.* Et Luc. 18. princeps quidam Judæorum interrogabat Christum: *Quid faciens vitam æternam possidebo?* igitur notitiam & spem illius habebat. Dicendum itaque videtur, quod equidem lex propriè sumpta non promiserit præmia æterna, sed temporalia; at nihilominus homines sub lege constitutos habuisse promissionem vitæ æternæ, ac spiritualium bonorum, eorumque fidem ac spem, ex Patrum traditione. Nempe ab ipso Mundi exordio extitit Religio revelata, quæ docebat unum Deum, rerum omnium Moderatorem æquissimum, non tantum in hac vita, sed & in futura habiturum esse ratio-

386 DE LEGE MOSAICA.

nem bonorum & malorum: docebat etiam homines à primæ mæva felicitate lapsos, esse reparandos per futurum Redemptorem. Religio hæc primum data *Adamo*, servata apud ejus posteros, post diluvium confirmata *Noë*mo, postea expressius *Abramo* aliisque Patriarchis, hæreditario veluti Jure ad Hebræos transmissa est. Ex his & aliis S. Scripturæ testimoniis id simul conficitur, Hebræos animorum immortalitatem credidisse.

QUAESTIO V.

Quo tempore Lex Mosaica fuerit abrogata, ac mortifera esse cæperit?

134. **L**egem Veterem mortuam, & à Christo abrogatam esse quoad omnia præcepta, etiam moralia, inquantum hæc præcisè Mosaica sunt, & positiva antiquæ legis (quatenus enim naturalia sunt, aut etiam à Christo recens confirmata, etiamnum vigent) certum est tum ex iis, quæ in superiore Quæstione tradita sunt; tum ex aliis S. Scripturæ testimoniis. *In Christo neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed Fides, quæ per Charitatem operatur.* Ad Gal. 5. *Translatio enim Sacerdotio necesse est, ut Legis translatio fiat.* Ad Hebr. 7. *Ipse (Christus) est pax nostra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ solvens inimicitias in carne sua: Legem mandatorum Decretis evacuans, ut duos condat in semet ipso in unum novum hominem, faciens pacem.* Ad Eph. 2. *h. e.* Christus legem Mosaicam, quæ erat maceria divisionis Judæos inter & Gentiles, per Legem Novam evacuavit, duosque populos, Judaicum & Gentilem, quasi duos homines sibi & corpori suo, id est, Ecclesiæ, cujus ipse